



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XCII. Saturnus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Atque hæc de Apolline seu Phœbo; cujus satellitium festivissime describit Ovidius 2. Metam.

----- purpurea velatus veste sedebat.
 In folio *Phœbus*, claris lucente smaragdis.
 A dextra, lævâque *Dies*, & *Mensis*, & *Annus*,
Seculâque, & positræ spatiis æqualibus *Hore*.
Vérque novum stabat, cinctum florente corona;
 Stabat nuda *Æstas*, & spicea ferta gerebat:
 Stabat & *Autumnus*, calcatis fordibus uvis;
 Et glacialis *Hiems*, canos hirsuta capillos.

SYMBOLUM XCII.

Saturnus,

Ex Variis.

Ethicè.

1. Saturni simulacrum. Cur senex: barba promissa? quid falx? serpens? lapis in ore? clepsydra in capite? 2. Tempus & Occasio. 3. Bonus Princeps per Saturnum indicatur. 4. Item tyrannus. 5. Lex magis, quam Rex, observanda. 6. Janus bifrons & quadrifrons.

C*æli & Veste* Saturnus fuit filius, *Opim* sive *Rheam* (*Cybelem* alii dicunt, aut *Tellurem*) sororem matrimonio sibi conjunxit. Parens fuit Jovis, Junonis, Neptuni & Plutonis. Nomen hausit à *Saturando*, eò quòd devorandis filiis fuerit saturatus; aut quia Senex satur fuit annis. Alii malunt eum à *Satu* fuisse appellatum, quòd stercorationi & agriculturæ præsit, unde *Sterculius* & *Sterculinus* cognominabatur. Græcis *χρόνος* seu *χρόνος*, id est, *Tempus* dicitur. Fratrem habuit *Titanem*, majorem natu, qui cum parenti, ut par erat succedere deberet, animadvertens tamen matrem, sororesque in Saturnum proniores esse, jure suo cessit, ea tamen lege, ne Saturnus prolem masculam tolleret (seu educaret) sed regnum ad suam stirpem rediret. Saturnus igitur ex pacto cum fratre inito, liberos suos masculos, ubi primùm nati essent, devoravit.

voravit. Verum cum Ops uno partu Jovem ac Junonem edidisset, Junonem quidem Saturno ostendit, Jovem verò clam nutriendum ablegavit, adhibitis interim Corybantibus Sacerdotibus suis, qui cymbalorum, tympanorumque pulsu obstrepebant, ne pueri vagitus audiretur. Cæterum Saturno natum recens filium deposcenti, Ops lapidem ostendit pannis involutum, eumque suum esse partum dicebat; quem ille arreptum, continuo in ventrem abstruxit. Posthæc cum Neptunum illa peperisset, eum quoque clam Saturno educandum curavit. Tertiò denique enixa gemellos Plutonem & Glaucom, hanc rursus marito monstravit, illum autem abscondit. Verum detecta tandem fraude, ubi Titan rescivit, fratri prolem masculam fuisse progenitam, suosque ea ratione pelli successione regni, unà cum filiis, qui *Titanes* à patre vocati, bellum adversus Saturnum suscepit; cuius exitus is fuit, ut victoriâ positus Titan, Saturnum, Opemque (Opim juxta quosdam) utriusque sororem in suam potestatem redactos muro incluserit, donec Jupiter adultus, devictis Titanibus, eos liberavit. Exinde Saturnus ab Oraculo didicerat, fore ut à filiis regno pelleretur, insidias Jovi struxit: sed hic iis deprehensus, patrem cælesti regno pepulit: Ille in Italiam profugit, ubi aliquamdiu apud *Lanum* regum antiquissimum latitavit: unde ea pars Italiæ *Latinum* est dicta. Saturno regnante auream fuisse ætatem Poëtæ fabulantur, terramque sua sponte, expertem vomeris & aratri peperisse fruges, communesque id temporis, & nullis distinctas limitibus, agrorum possessiones fuisse. Vide Symbolum 8.

Ethica.

I. (a) Saturni simulacrum antiquis pingebatur homo senex, calvus, proluxa barbâ, curvus, tristis & pallidus, modò nudo, modò obvelato capite; dextram armabat falx, sinistra ferebat serpentem, qui mordicus caudam apprehendens, circuli figuram representabat. Nihil horum mysterio caruit. (b) Per *Senem Tempus* designabant, inter res cæteras huius orbis antiquissimum: nam reliquis intereuntibus, Tempus manet. *Caput* modò obvolutum, modò detectum ostendit, multa tempore velari, ac velut oblivione obtegi; multa aperiri etiam tempore, quæ diu latuerunt. (c) *Barba* proluxa significat *Sapientiam*; nam juxta Thaletem, Tempus omnium est sapientissimum, quia cuncta reperit, eruitque. Eius filia est *Veritas*. (d) *Falx* illi velut ad res nascentes præputandas

B b b b

(a) Saturni simulacrum quid indicet. (b) Senex (c) Proluxa barba. (d) Falx.

tandas tribuitur, cum omnia tempore occidant & metantur. (e) *Serpens* orbicularis additur, quod rebus pereuntibus, & tempora nova, & res aliæ in orbem, veluti perpetua revolutione succedant. Horatius de arte Poët:

---- Mortalia facta peribunt;
 Multa renascentur, quæ jam cecidere; cadentque
 Quæ nunc sunt in honore.

Serpens in se revolutus ideo quoque Temporis signum est, quod tacite proserpat, & nullo edito strepitu dilabatur; vel quod annus seipsum fugiens, seque sequens instar serpentis in orbem glomeretur, inque se ipsum redeat. Virgilius:

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Item hoc Symbolo exprimitur aternitas, quæ instar circuli, principio caret & fine: nulla sui parte incipit, nulla desinit. Extremum vero caudæ, serpentis ori inseritur, & occultatur, quod tempora nobis incognita & incerta sint: *Præsens* quippe cum instabile sit, & velocissime transcurrat, vix percipitur; *Præteritum* intueri non possumus: *Futurum* longè minus, quia nondum existit, & eius finis prorsus est incognitus, (f) *Lapidem* devoravit Saturnus, quia Tempus omnia consumit, etiam ferrum & lapides. Verè Poëta:

Septena quæ miracula
 Jaëtabat antè mundus:
 Septena sunt ludibria,
 Et nobiles chimæræ.

Etiam (g) *Clepsydra* imponitur Saturni vertici, & alæ junguntur humeris, quo significetur velocitas Temporis. Seneca

Volat ambiguis mobilis alis
 Hora.

Et Maro:

Stat sua cuique dies: breve & irreparabile tempus
 Omnibus est vitæ.

Et Ovidius 15. Metam.

Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
 Non secus ac flumen; neque enim consistere flumen,
 Nec levis hora potest: sed & unda impellitur unda,
 Urgeturque eadem, veniens urgetque priorem.
 Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,

Et

(e) *Serpens.* (f) *Lapis pro cibo.* (g) *Clepsydra.*

Et nova sunt semper : nam quod fuit antè , relictum est ,
Fitque , quod haud fuerat : momentaque cuncta novantur.

II. (b) Celebrata est illa Pittaei , unius è septem Græciæ sapientibus sententia : *ῥωδι καὶ ῥωδι* , noveris tempus . Neque sine causa veteres *Opportunitatem* seu *Occasionem* divinitate donarunt . Eius dea fuit hæc effigies : Virgo insitebat rotæ pennatis pedibus , seque ipsam in orbem eclerrimo gyro circumagebat , priore capitis parte capillis longis hirsuta , posteriore glabra , ut illà faciliè prehendi queat , hac nequaquam ; hinc verficulus :

Fronte capillatâ , post est Occasio calva .

Eius comes dicitur esse *Metanæa* seu *Pœnitentiæ* : nam semel elapsam frustra suspires , revocésque . Quapropter Theophrastus , Laërtio teste , semper in ore habebat , *nullum esse sumptum pretiosorem tempore* . Egrege de hoc argumento Seneca epist. 9 . Ita fac , mi Lucili , vindica te tibi , & tempus , quod adhuc aut auferebatur , aut surripiebatur , aut excidebat , collige & serva . Persuade tibi hoc sic esse , ut scribo : quædam tempora surripiuntur nobis , quædam subducuntur , quædam effluunt : turpissima tamen est jactura , quæ per negligentiam fit . Omnia aliena , tempus tantum est nostrum . Ad pretium Temporis indicandum Antiqui tres diei partes hoc modo representabant . Tres virgunculæ , id est , *Hora* ad cæli fores excubandi servant vires . Prima est *Aurora* , veste rubicunda , clepsamidion , quod fluere incipiat , tenens manu . Secunda *Meridies* , candido habitu , sciothericum , seu horologium *Solare* dextrâ præferens . Tertia , *Vespera* , spadicea veste , horologium rotatile gestans ponderibus devolutis . Qui sapit , labentes arenulas , fugientem umbram rotularum devolutionem observat tempestivè . Seneca lib. 1 . de benef. c. 3 . Scribit , *Charites* sive *Gratias & Horas* (quæ occasionis sunt Symbolum) iisdem parentibus esse prognatas , scilicet Jovis & Eurynomes (nempe Themidis seu Pulchræ Legis) filias esse ; *Horas* quidem Seniores , *Gratias* verò juniores : ut significarent Veteres , Gratias Horis , id est , occasioni quasi subesse , abque ea pendere , adeò ut dilationem non ferant , sed horis opportunis præstari debeant aut admitti . Siracides monet c. 14 . *Non defrauderis à die bono , & particula boni doni* (alii legunt , *boni diei*) *non te prætereat* . Græcè *μὴ ἐπιδύπτας ἀγαθῶν* , particula boni desiderii , quasi dicat : In hac vita brevi quia curris ad aternitatem , cave ne ulla verorum bonorum cupido , tibi à Deo immissa , tuò vitiò cadat irrita & cassa .

Bbbb z

(i) III.

(b) Tempus est Occasio.

(?) III. Saturnus, inquit Festus, inter veterrimos Italiae deos colitur, qui frugum Repertor, quique eas gentes primus docuisse creditur fationes. Fuit autem antiquorum hominum tanta simplicitas, ut venientes ad se advenas (quemadmodum Saturnus ad Janum venit) qui modò consilio atque sapientia præditi ad instruendam vitam formandosque mores aliquid confegrent, quòd eorum parentes atque originem ignorabant, *Cælo & Terra* editos non solùm ipsi crederent, verùm etiam posteris affirmarent: velut hunc ipsum Saturnum, *Cœli & Terræ* filium esse dixerunt. Aurelius Victor de orig. gentis Rom. De Saturno Maro 8. *Æneid.*

Primus ab ætherio venit Saturnus olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul adeptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legésque dedit, Latiúmque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris:
Aureaque (ut perhibent) illo sub rege fuere
Sæcula: sic placida populos in pace regebat.

En notas boni ac sapientis Principis in Saturno, de quo Justinus lib 43. Italiae cultores primi Aborigines fuere? (quasi sine origine, quòd eorum majores neseirentur) quorum Rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam, nec quidquam privata rei habuerit: sed omnia communia & indivisa omnibus fuerunt, velut unum cunctis patrimonium esset. Ob cuius exempli memoriam cautum est, ut feriis Saturnalibus exæquato omnium jure servi cum dominis recumbant. Hæc ille.

IV. (k) Alii per Saturnum exprimi volunt tyrannum avarum, superbum, crudelem, qui in suummet sæviat sanguinem, gaudeátque aspergi subditorum cruore: qua de causa Carthaginenses usque ad excidium suæ urbis pueros ingenuos Saturno immolabant, autore Curtio de gestis Alexandri. Fingebatur ejus statua ærea, manibus porrectis; sub ea fornax succendebatur; puer brachiis insertus, dum lento ignis vapore contrahebatur & torrebatur, ridentis speciem exhibebat: tibiis interea & tympanis concrepantibus, ne ejulatus exaudiretur. Atque hoc ipsum est, quod alibi diximus pravæ educationis symbolum. Nam dum puer manibus, ut dicitur, gestatur, dum sinu fovetur, dum indulgenter nimis & molliter habetur, quasi ridendo & canendo suaviter in brachiis

com-

(i) Bonus Princeps. (k) Tyrannus.

comprimitur, & quasi catulus simii amando suffocatur. De hoc idolo sæpius fit mentio in divinis litteris, & *Moloch* appellatur.

Saturnum quoque expriment, quicumque tyrannicè regnant, quales sunt turpissimi Mahometis sectatores, qui regnandi libidine, non aliter quàm lupi grassantur in fratres, filios, parentes.

Pulsus à Jove Saturnus, & catenis adstrictus in tartaro, ut aliqui poetarum fingunt, indicat, justo denique talione poenas dare sanguifugas, & crudeles innocentum oppressores.

V. (e) Sed quomodo sub Saturno sanctissima legum majestas, & vis æquitatis viguit, quod supra indicavimus, cum ipse necando filios, ipsius naturæ vincula tam nefariè violarit? Respondens Mythologus lib. 2. c. 1. At illud, inquit, scire convenit, homines tunc simplices, non ad Saturni exemplum vivere solitos, sed ad legum ab ipso institutarum rationem. Semper enim fuit is regnantium furor, ut cum vel filius, vel frater, vel conjunctus in aliquam suspicionem inciderit, corruant è vestigio omnia naturæ vincula, nec quidquam magis periculosum est, aut minùs constans, quàm regnantium amicitia. Huc accedebat, quod homines in imperio constituti, severissimè cæterorum vitia puniant, quibus ipsimet sunt obnoxii, neque comites habere scelerum facile patiantur. Quod verò aureâ Saturni ætate, flumina lactis & nectaris fluxisse, damas cum canibus, oves cum lupis lusisse feratur; significarunt veteres, tunc temporis viros bonos, legum patrocinio tutos à leariis & rei alienæ raptoribus fuisse, rectumque magis sua sponte, quàm Principum ductu & exemplo coluisse.

VI. (f) Quod autem Saturnus in exilio non tantum ipse superbos & feroces spiritus deposuerit, sed etiam in genus humanum beneficus, rationem primus docuerit Italiæ incolas; docetur, rebus adversis mitigari ingenia aspera, & à necessitate bonas extundi artes. Hospitalitatis quoque præmium, insignè tulit Janus, dum fruges noviter inventas fertili segete messuit, & post mortem inter deos translatus est, templumque habuit Romæ, à Numa Pompilio positum, quod tempore belli patebat, tempore pacis claudebatur; unde *Patulcius* & *Clusius* cognominabatur. *Bifrons* etiam fuisse dicitur, quod ætatis suæ prudentissimus præterita sciret, & futura prævideret. Vel etiam, quod temporum Præses, annum aperiat & claudat. Vel, quod Principi necessaria sit prudentia, quâ bello & pace pervideat, perpendatque, quid è re sit.

Bbbb 3

Un-

(e) Nontam Rex, quàm lex pro exemplo habenda. (f) Janus bifrons, aut quadrifrons
eius rei Symbolum.

Unde quidam Janum *quadrifrontem* fecere, quasi in quatuor mundi plagas oculos, animumque vertentem; ne quid improvisum accidat, eveniatque. Sunt verò quatuor maximè partes *Prudentia*. 1. *Astutia* mentis, quâ rebus in dubiis cautum captatur consilium, & acutè dispicitur ac dijudicatur, quid bonum, quid malum, quid inutile, quid commodum sit. *Versutia* nomen assumit, cum in malum, & varias simulationes se contulerit. 2. *Memoria*, quâ repetit animus, quæ fuerunt, ut ex præteritis sapiat. 3. *Intelligentia*, per quam perspiciuntur, quæ cuique rei tractandæ convenient; cuius contrarium *Ignorantia* & *Socordia*. 4. *Providentia*, quæ futura spectat, maturè consilium capit vel bona persequendi, vel mala avertendi, aut æquo animo tolerandi. Plura possent de Saturno, ejusque hospite Jano afferri, nisi redirent aliis locis, hic dicenda. De Planeta, cui Saturno nomen, nihil attinet meminisse; cum ejus natura, constitutio, circumvolutio, effectus magis pertineant ad Mathematicos & Physicos, quàm ad Poëtas & Ethicos, ad quos Symbola nostra referimus. Libet de Saturno falcato sene, & infantem devorante, breve carmen apponere:

Annorum dirus pater, Annorumque necator,
 Quæcunque ediderit Tempora, Tempus edit.
 Magnorum largitor opum, largitor honorum,
 Omnia quæ donat, devorat iste senex.
 Heu quid opes, quid regna? tuum nihil est nisi virtus:
 Hic vorat illa senex; hunc vorat ista senem.

